

ILLVSTRISSIMO, NOBILISSIMOQVE VIRO
CLAVDIO GALLARD
DOMINO DE COVRANCES, ET DAMNEMOIS,
ET IN SVPREMA GALLIARVM CVRIA SENATORI INTEGERRIMO.

ANDREAS GVYET S. D.

*DIVINÆ vox eſt ſapientiæ (*Vir Ampliſſime*) neceſſitatem eſſe blandam Medicinæ conciliatricem, eiuſque authoritati & honori comiter velificare: quod oraculum mihi tabellaris prærogatiua erit in hac concilianda tibi ſalutaris ſcientiæ tabella, quæ audet apud Iuris, Iuſtitiæque Antiſtitem neceſſitatis iure agere, ſecura victoriæ, cuius palmam æquitati vltrò porrigis: allegat neceſſaria cognatæ neceſſitudinis vincula, quibus ſe vinciri gaudet & prædicat; nec vnquam hunc nexum inire recuſabit ex quo honoris quærit ἱκετήεια. Dignitas & Amplitudo tua in partes veniunt & ſuas iniiciunt compedes, quæ eò arctiùs ligant quò clariùs micant: ardens & ſacra illa Themidis purpura, quam ſingulares tuæ probitatis & ingenij dotes tibi induerunt, non perſtringunt modò ſed etiam diſtringunt oculos, nec aliò detorqueri patiuntur, & in hac luce ſolem agnoſcunt ſuum. Heroïcus autem ille partus quem ſibi proprium, verumque aſſerit nullum magis neceſſarium, nec locupletiorem reſpicere poteſt authorem & patronum, in quo heroïcæ virtutes ſedeant auguſtiùs & effulgeant ſplendidiùs: quæ nihil plebeium, nihil vulgare ſapiunt, alta omnia & diuina ſpirant: quarum denique partum decumanâ ſapientiâ velut obſtetriciâ quadam manu ex ſacro mentis & voluntatis tuæ ſinu educis, non illum quidem inchoatum & imperfectum: ſed velut Palladem Iuſtitiæ tuæ præſidentem, omnibus partibus abſolutum, omni Pancpliâ munitum: huiuſce verò partus decumas in ſummo Galliæ Tribunali multò ſanctiùs & cumulatiùs quàm veteris ſuperſtitionis cultores maximo Galliæ Herculi ἀλεξικάκῳ, quotidie perſoluis. Si virtutis illius heroïcæ propiores radios ſenſero, in heroïco partu propugnando herculem me πρόμαχον præſtabo.* *VALE.*

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VIII. IANVARII,

M. CLAVDIO SEGVYN Doctore, & Primario Reginæ Christianissimæ Medico, Moderatore.

An decimus mensis Heroum natalis?

905

DENASCENDI fatalis est omnibus necessitas, nascendi non item: vnus & simplex ad vitam ingressus, multiplici & incerto exitu clauditur. Mors non est peccati soboles, sed mulcta: An potest arte Medicâ retardari? Homo naturæ suæ conditione mortalis, continuâ & felici prolis successione immortalitatem sibi asserit in posteris. Ad procreationem necessaria fuit maris & fœminæ distinctio, Mas generat in alio, fœmina in seipsâ non citrà maris consortium. Apage ludibrium phantasiæ muliebris consignatam mariti absentis imaginem in vtero exprimentis, & in legitimum fœtum conformantis absque seminis virilis copulâ. Mulieres non quemadmodum gallinæ sine maribus oua pariunt ὑπηνέμια, ita illæ informem & inutilem carnem (quæ mola dicitur) aut aliud quippiam, ei simile sine viro concipiunt. Vtriusque parentis semen, & sanguis maternus ad fœtus conceptionem & conformationem desiderantur: ex conditione seminis pendet corporis vniuersi præsertimque partium principum temperies, ex earum temperamento humores, ex humoribus affectiones animi siue πάθη, ex affectionibus mores, ex moribus, habitus honesti & vitiosi comparantur, cognoscuntur.

ENIMVERO maximum habet momentum ad egregias corporis & animi dotes parentum semen: Fortes creantur fortibus & bonis, Heroum filii nascuntur Heroes, & patrum in natos veniunt cum semine mores perinde ac morbi. Ad præclaræ prolis susceptionem requiritur vbertas seminis moderatè calidi & fœcundi, quale suppeditari solet à parentibus sanis & robustis, ætatis maturæ & constantis, probâ victus lege vtentibus, qui rarò venerem colant & pari corporis animique contentione simul ad metam properent: amborum genitale semen confusum arctissimè suo sinu amplectitur vterus, purissimoque sanguine perfundit, & ad fœtus masculi conformationem (quæ est nobilissima animæ vegetantis actio) promouet. Conformatrix facultas ex præstantissimis vitæ principiis partium principum, sed imprimis hepatis, deinde cordis & cerebri, tandem reliquarum omnium elegantem, ac venustam descriptionem aggreditur, quibus accuratè conformatis & distinctis, anima extrinsecùs accedit à Deo creata suo domicilio non impar quæ vitâ nobiliore fœtum impertit eique iustam molem & incrementum ex materni sanguinis commeatu procurat, quo tandiu fruitur quandiu ergastulis vteri coercetur, nec priùs exit in lucem quàm gratiosi humoris copiâ defecerit.

OMNES animantes singulari ac simplici modo partum suum perficiunt, vnum propterea illudque statum pariendi tempus obseruant: Homini soli vt multiplex pariendi modus ita incertum tempus à naturâ obtigit. Rarò multos vno partu, aliquando geminos, frequentissimè vnicum enititur interdum mense septimo, aliàs octauo, sæpe nono vel decimo, vix vndecimo. Primus vitalem fœtum producit septimus, sed illum imbecillem ac imperfectum strati insolentiam & aëris iniurias ægrè ferentem. Octauo mense, diuturnâ & familiari ægritudine vexatus in vtero fœtus, ingruente nouo subinde partus dolore opprimitur, quò longius recedit ab hac insigni afflictatione eò felicius procedit. Si statim incipiente nono prodeat infans, nondum instauratis viribus vix discrimen euadet, qui si eodem mense affecto nascatur, legitimum & vulgare partionis tempus adeptus viuet, procul remotus à morbis quibus octimestres exerceri consueuerunt. Decimum mensem partus humani Colophonem attingit qui septimo quadragenario in lucem editur, felici & auspicato numerorum concentu quem quatuor septimanarum decuriæ ex ducentis & octoginta diebus componunt.

NVMERVS non agit, sed natura certis numeris ac temporum periodis suos motus circumscribit nascendi terminum homini longissimum, ac perfectissimum decem menses constituit. Hinc decimestres fœtus omnibus corporis & animi bonis cumulatè ornati, num quæ longiori tempore perficiuntur & oriuntur animalia, præstantiora & viuaciora? partum naturalem definit fœtus maturitas Qui ocyùs maturescunt, breuioris vitæ & præcocis sapientiæ, qui seriùs, longæui & prudentes, immò si vsque ad septimam τεσσαρακονθήμερα singulari naturæ beneficio ortum suum producant, tùm demùm insigni virtutum prærogatiuâ & excellenti corporis pulchritudine præstantissimi nascuntur, num in vtriusque parentis semine virtutum Heroicarum semina delitescunt? melancholicum semen parentum simili humore partes principes præsertimque cerebrum imbuit, cui fingendo & perficiendo eò diutiùs incumbit, quò materia crassior magis attenuanda venit in delicatissimam organorum texturam & maiori industria elaborari postulat pars isthæc non vulgaris, sed heroicæ mentis sedes futura & nobilissimarum actionum instrumentum. Num sanguinis materni eiusque purissimi vbertas tanto tempore fœtum in vtero continet vt facultates naturales egregium illud opus accuratiùs absoluant? altrix iustam carnis molem & coloris suauitatem, auctrix magnitudinem eximiam, conformatrix decoram & elegantem figuram vniuerso corpori conciliet, sicque omni ex parte perfectus & maturus infans feliciter prodeat in lucem.

QVI decimo mense nascitur, duplicem ortus sui tardioris causam agnoscit: melancholicum semen quo partes solidæ constant, & sanguinis menstrui copiam, ex quo carnosæ concrescunt & diutissimè aluntur. Huic acceptam refert corporis pulchritudinem & sanitatem, illi virium robur, longæuitatem & ingenii præstantiam, quibus egregiis corporis & animi dotibus θεοειδὴς, Herois nomen meritò sibi vendicat. Estne temperamentum melancholicum heroicum? In succo melancholico interdum calor immoderatus præpollet qui sentiendi officium intercipit, vnde morum feritas & vehemens animi delirium: aliàs frigus dominatur quod sensuum aciem obtundit, vnde mentis stupor & mores fatui: nonnumquam temperatus inest calor tenuissimorum ac lucidissimorum spirituum fœcundus genitor quibus intellectus ad nobilissimas actiones edendas, & habitus virtutum heroicarum sapientiæ & prudentiæ supra modum ac penè naturam hominis, comparandos vtitur. Hinc omnes qui mentis solertiâ & iudicii constantiâ, rerum prudentissimi, πολιτικώτατοι, ac sapientissimi longè cæteris præstitere Heroes dicti, melancholici fuere, omnes quoque δεξιώμενοι. An non Principis nostri DELPHINATIS perfectissimo partus humani termino septimo quadragenario exacto, expectatissimus & fortunatissimus exortus, decimum mensem Heroum natalem approbat? Saluus HERCVLE PVLCHRO, pulcher Herculiscus tot Heroum sanguis. D. LVDOVICI soboles, HENRICI MAGNI nepos, LVDOVICI IVSTI, & ANNÆ AVSTRIACÆ incomparabilis Heroïnæ Filius, quem frontis maiestas, oris dignitas, oculorum acies imperterrita, augustissima species, corporis temperies heroïca, εὐεξία, εὐαρμοστία, insita mentis bonitas, atque ingenii ad virtutem amplectendam celeritas, mores supra ætatem compositi & serii, sapientissimum, prudentissimum, fortissimum ac felicissimum, aliquando ostentant Heroa, qui pacatum reget patriis virtutibus orbem.

Ergo decimus mensis Heroum natalis.

Proponebat Lutetiæ ANDREAS GVYET, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XLIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius le Vasseur.	*M. Michael Marés.*	*M. Mauricius de Monstrœil.*
M. Dionysius Ioncquet.	*M. Claudius Breget.*	*M. Claudius de Poix.*
M. Iacobus Gauois.	*M. Robertus Debonnaire.*	*M. Petrus le Comte.*

